



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 141. Turcæ passim mari, terraque cæsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

centum florenorum præmio in eum, Sæc. XVII. A. C. 1616.  
 qui ex illis quampiam iudicio sisteret. Inde factum, quod plures tam Viri quam  
 fœminæ solum vertentes per mœnia e-  
 tiam, non sine vitæ periculo descen-  
 dentes profugerent, urbsque pluribus  
 incolis suis viduata permaneret.

## §. CXLI.

*Turcæ passim mari, terraque cæsi.*

Ineunte Mense Majo classis Cosmi II. Ferrer. con-  
 magni Etruriæ Ducis in duas Alge- tin. Hist.  
 rianas Lybicorum Turcarum triremes Hisp. c. 2.  
 Prætorianas in mari mediterraneo ad §. 122.  
 Negropontum incidens, post atrox ut- Merc. Gal-  
 rinq̄ue certamen victor evasit, præda- lob. tom. II.  
 que centum millium coronatorum facta,  
 quadringentos & quinquaginta circiter  
 Christianos Turcicæ servituti adscriptos  
 in libertatem asseruit. Præterea Afri-  
 cani maris incolæ Melitenses, cum  
 tribus triremibus e Sicilia Naupactæum  
 venerè sinum, ac septem Turcarum  
 myroparones expugnarunt, quingen-  
 tosque circiter Janissaros cæperunt, ex  
 quibus trecentos & octoginta in vin-  
 cula compegerunt, residuis passim ob-  
 truncatis. Hac tamen clade minime  
 territus Achmetes, Siciliæ & Calabriae  
 ora centum triremium classe invadere  
 statuit: comperto autem consilio Offu-  
 na

na

Sæc. XVII.  
A. C. 1616.

na Hispanus Dux cum sex triremibus die secunda Junii Franciscum Riveram portu solvere jussit, qui die decima tertia ejusdem Mensis Calidoniæ promontorium prætervectus, sexdecim Ottomanicas naves mercibus onustas superabat, ac continuato victoriæ cursu in Salinarum portu decem Turcarum naves aggressus, earum nonnullas tormentorum ictibus discerptas, aut depressas undis submersit: promotisque velis varias adhuc naves expugnavit, cæsis captisque Turcarum quamplurimis, a quibus die prima Julii certior reddebatur, quod Turcica quinquaginta quinque triremium classis Caramaniæ ora legeret: nec tamen Rivera hoc hostium numero terebatur, sed novo ardore totam classem adoritur, ac post cruentum conflictum ad seram noctem protractum octo Turcarum triremes expugnat, accensaque Lucerna ad sequentis diei pugnam hostem provocat, atque iterato certamine Turcas profligat, qui amissis rursus aliis octo navibus tertia die prælium redintegrant, sed tandem Hispanæ fortitudini cedere coacti sunt, sui Architalassi, & bis mille Turcarum jacturam deplorantes; cum tamen Ribera, salvis omnibus suis sex triremibus, & nonnisi quadraginta suorum desideratis, Victor in Siciliam revert-

verteretur, ingenti honorum significa- Sæc. XVII.  
 tionem exceptus. Insuper Turcæ ad pa- A. C. 1616.  
 ludem Mæotidem, circumque Cherso-  
 nesum Tauricam, & Tanaim amnem  
 a Cosaccis, & in Asia a Persis ingen-  
 tem passi sunt cladem, ubi illorum qua-  
 draginta millia peste ac ferro periisse  
 dicuntur.

§. CXLII.

*Religionis controversia ab Ordinibus  
 Hollandiæ tanquam supremo Ju-  
 dice definita, sed non finita.*

Cum Arminiani, ut supra meminimus, Vid. Supra  
 extrema quæque a Gomaristis pati l. 184. §. 54.  
 cogentur, & eorum controversia in Cluver. epit.  
 fundamentali Religionis articulo de æ- Hist. p. 776.  
 terna Dei prædestinatione, nec per Sa- Jæger. Hist.  
 cras literas, nec per Dordraceosem Sy- Ecc. l. 4.  
 nodum, cui haud immerito diffidebant, cap. 6.  
 definiri potuerit, ad arma tanquam su-  
 premum suum Judicem convolare de-  
 creverunt: Hanc in rem Barneveldio,  
 Utenbogardo, Grotio, aliisque id sua-  
 dentibus, Ultrajectini, Leidenses, &  
 Harlemenses aliquot militum cohortes  
 variis ex locis conscripsere, contendentes,  
 id juris cuique Ecclesiæ esse, ut  
 suo arbitrato Pastores quibusvis demum  
 mediis sibi legeret: Verum Mauritii,  
 Principis Auriaci, sedulitate factum,  
Hist. Eccles. Tom. LV. Mm ut